R^mo Patri Liboy Procuratori
Missionum ad exteras. Reçue le 11 Avril 46

20 9bre 1845

Reverendissime Pater

Ex Kiang-nan profecti sumus circa mensem Septembrem. In altum mare provecti, multoties per tempestates jactati sumus. Crescente dein ventorum vi, ac confracto gubernaculo, malos amputavimus, ne naufragaremus. Inde navigantes nos contrarius ac vehemens ventus exportavit usque ad insulam Quelpaert. Consumptis tandem multis diebus attigimus portum cui nomen Kang-kieng, et, Deo favente, sine ulla adversitate a christianis fuimus recepti.

Nunc Illustrissimus Episcopus Ferreol et R^dus Pater Daveluy bene in Domino valent, et student linguæ.

Disponimus iter ad receptionem Patris Maistre et Diaconi Thomæ.

Rex et ministri persecutores adhuc vivunt.

Christiani pro nunc pace fruuntur, licet aliqui persecutionis rumores eos agitent.

Circa lunam 7am præsentis anni una navis Anglica fuit ad insulam Quelpaert; eo tempore ministri et populus timuerunt, existimantes eos venisse ad ulci-

ulciscendam sanguinem Patrum occisorum. Hujusmodi
frequentia navis europeæ in Coream, excitat aliquod odium
paganorum in Christianos. Illi enim credunt Europeos ad-
ventare ex invitatione et communicatione Christianorum.
Nonnulli pagani suspicantes nostram expeditionem ad
Kiannan, malitiose loquuntur investigantes.

Imperitus sermone non audeo multa scribere, quia Ill.
R. Episcopus Ferreol et R.dus pater Daveluy Patri scribent,
et quidem non multa mihi suppetunt referenda, cum
nihil ferme egerim nisi in propositis et votis.

Cæterum R.mo ac optimo Patri meo Libois nec non
R.mo P. Legregois, omnia fausta et prospera deprecor
cum omni cordis sinceritate.

Mei mementote, R.me Pater, in oratione et Missæ
sacrificio.

Paternitati Vestræ

ind. et inut. servus Andreas

Die 20 novembris 1849